

dici propriè conveniunt, ut *numerum esse*, & quidem *perfectum*, &c. de Tetracty prædicari deprehendimus. Nec enim quicquam frequentius est apud veteres, mori mathematico advetos, quàm ejusmodi Metalepsis, quâ *potestas radiceis*, & *viciissim radix potestatis predicata sustinet*.

Haftenus de Tetracty numericâ: quod *Tetractyn Realem* attinet, definiri posse videtur eadem, quòd sit proprietatum, quas quaternarius numerus habet, ipsiusque Quaternarii applicatio ad ipsas res ab intellectu tractandas, i. e. cognoscendas, & sicubi fieri potest in quibusdam, v. g. in Mechanicis & Moralibus, efficiendas, h. e. ad numeros concretè spectatos, quatenus res sunt certò numerò gaudentes, sub quò constitutæ certam essentiæ rationem nobis exhibent.

Sicut enim per unitatem (quæ simplicissimum quid est, & nihilominus infinitas numero potestates, *quadratum*, *cubum*, *quadrati quadratum* &c. seipsâ realiter & actu semper exhibet) DEUM unum & omnimodè infinitum, repræsentarunt Pythagorei; binariò verò divisibilitatem infinitam naturæ materialis & mobilis, ipsumque corpus hominis; ternariò naturam indivisibilem, cui Spiritus accensendi sunt, ipsumque compositum hominis, ex animâ & corpore unitis, adumbrarunt; ita Quaternariò totius naturæ complexum indicare voluerunt (conferatur Meurf. l. d. c. 3. & seqq.) in quò complexu etiam tantum non omnia se componunt ad quaternalem rationem; quod *quaterna rerum genera*, tum *abstracta*, tum *concreta*, 4. *essendi rationes*, 4. *existendi modi*, *quaternæ quidditativæ affectiones*, tum *materiales*, tum *formales*, *quaternæ collationes*, *quaternæ comparationes* & *combinationes*; & in materiali mundò, *principiorum ipsorum*, *qualitatum*, *affectionum*, & *specierum naturalium*, quin & *Moralium Notionaliumq;*